



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

S. Claræ monialium cœnobium Noribergense, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

11. *Veronica à Dela*, Domina valde religiosa & honesta, quæ obiit anno 1549.

12. *Emilia à Wirberg*, & honestissima & prudentissima Domina, eligitur anno Domini 1549. Præsidet hoc adhuc currente anno Domini 1551.

S. Claren.

**S** CLARÆ monialium cœnobium Noribergense, omnium (quæ urbs illa monasteria intra mœnia sua habet) spaciofissimum & amplissimum, cœpit anno Domini 1278. sub Comitibus à Rudolfo Imperatore Noribergæ celebratis. Translatis enim in urbem pœnitentibus sororibus, quæ foris prius ad nemus Noribergense in Divæ Mariæ Magdalænæ perveteri sacello, quod antiqua monumenta anno Domini 1092. ante urbis sub Henricis vastationem conditum & à religioso Noribergensi populo admodum frequentatum esse testantur, à Gregorii IX. temporibus usque ad Gregorii X. ætatem sub Divi Augustini regula militabant, damnatis tunc in Lugdunensi Synodo quorundam sectis, sorores etiam istæ, abjecta pœnitentium S. Augustini damnata professione, S. Claræ ordini publice approbato sese dunt ac incorporari faciunt anno 1274. Post hanc incorporationem anno 4. facta est translatio & secessio è nemore in urbem, quo tempore plurimum auctus dicitur conventus S. Claræ. Nam inter multas alias bono loco natas puellas & fœminas venit in eandem congregationem sub Comitibus nobilis Domina Guta, Illustris Domini Eberhardi ab Heertingsberg Equitis aurati conjux, cum tribus filiabus, Guta, Leutgarde & Agnete, quarum Pater Eberhardus arcem suam Bergensem unà cum toto Monte (qui milliare à Noriberga abest & nostra ætate frumenti feracissimus à quibusdam *Hertonis Mons*, ab aliis vetustus *Mons* appellari solet) dabat ad exædificationem hujus cœnobii, quod aliis etiam annis proventibus præclare auxit, quemadmodum etiam Franciscanorum monasterium (cujus ipse cœnobita fuisse legitur) amplissime dotavit. His ipsius temporibus erant duo honesti Cives Noribergenses, germani fratres, Fridericus ac Eberhardus Ebneri, qui ingressi Franciscanum cœnobium ibi monasticen

Der Alte  
berg.

Ebneri  
Patricii.

sticem professi sunt, quorum alter totius conventus Confessor fuisse, alter Laicus mansisse dicitur. Hi fundum dederunt ad utrumq; monasterium, Franciscanorum videlicet & S. Claræ construendum. Catalogus hujus loci Abbatissarum talis extat, à Domina Pirckeimerina, agnata mea, mihi communicatus.

Catalog.  
Abbatiss.

1. *Kunegundis* præfuit aliquot annis usque ad annum Christi 1280. Sub ea facta est translatio è sacello primo D. Mariæ Magdalenaë in urbem.
2. *Hedowigis Pfintzinga*, Patricia Norica, successit Dominæ Kunigundi. Præfuit annis 13. ad annum usq; 1294.
3. *Guta* præfuit anno 1294. & mox postea resignavit.
4. *Adelheidis* præfuit anno Domini 1295. Huic Papa Bonifacius IIX. dedit privilegium, quo moniales S. Claræ exemptas esse statuit ab omnibus exacttionibus, muneribus & oneribus civilibus anno pontificatus sui secundo.
5. *Kunegundis* anno 1297.
6. *Guta* superior revocata præfuit anno 1299.
7. *Adelheidis* præfuit anno 1300.
8. *Guta* ab Ehingen præfedit anno 1303. & sequente.
9. *Irmelgardis* Monetaria constituitur Abbatissa anno 1305. Præfuit 2. annis & resignat.
10. *Margareta* præfuit ab anno 1307. ad annum usq; 1309. quo Irmelgardis ad officium revocata iterum præfuit 2. annis.
11. *Kunegundis* à Dietenhofen sedit ad Abbatiaë clavum ab anno Domini 1311. ad annum usque Domini 1317. quo tertio rediit ad gubernationem monasticæ hujus societatis optima Domina Irmelgardis Monetaria, quæ præfuit iterum 5. annis integris, ac tertio resignavit. Post ejus abdicationem gubernatio coenobii iterum commendata est Dominæ Kunigundi anno 1323. quæ cum per unum adhuc annum sedisset ad clavum, rursus alteri è sororibus honor gubernationis oblatus est.
12. *Guta Schultessina* igitur electa præfuit 3. annis post Kunegundin.
13. *Gertrudis Schulsburerin* eligitur anno 1327. Præfuit annis quinque.

14. *Irmel-*

14. *Irmelgardis Monetaria*, quarto jam Abbatissa constituitur anno 1332. Præfedit per annum unum tantum, & in Domino obdormivit anno 1333.

15. *Guta Ebnerin* successit defunctæ Irmelgardis. Præfuit 2. annis & alteri cessit.

16. *Kunigundis* à Bamberga designatur Abbatissa anno 1335. Præfuit per biennium, & gubernaculum unanimi sororum consensu eidem, à qua acceperat nuper, reddidit: quæ sedit etiam per biennium.

17. *Elisabeta Aisterin* eligitur anno 1339. & sequente anno resignat conventui, qui recepit ad gubernaculum Dominam Kunigundin à Diethhofen, ob insignem pietatem ac morum convenientiam. Hæc jam tertio assumta cum præfuisset post resignationem Elisabetæ 4. annis, decessit & ipsa ex mortali vita anno 1344.

18. *Engelburgis*, ex patre Hallero, Patricio Norico, nata, successit Dominæ Kunigundi anno 1344. Præfuit laudabiliter 5. annis & resignat anno 1349.

19. *Margareta* post Engelburgin præfuit per unius saltem anni spatium, & postea revocatur superior Elisabeta, quæ præfuit adhuc per quinquennium integrum & obiit anno Domini 1355.

20. *Margareta Sechfina* successit anno 1355. Præfuit annis ferè septem.

21. *Agnes* Abbatissa præfuit per annum unum.

22. *Margareta Pfintzinga* Patricia præfuit anno 1363.

23. *Margareta Radinegkerina* præfuit anno sequente.

24. *Elisabeta Stromerin*, Patricia, præfuit anno 1365. & sequente.

25. *Margareta Schürstabin*, Patricia, præfuit ab anno 1367. usque ad annum 1370.

26. *Petronella*, nobilis Domina à Streitberg, successit Schürstabinæ. Præfuit per triennium.

27. *Agnes Holtzschuberina*, Patricia, eligitur anno 1373. resignavit anno 1380.

28. *Catharina Hoffmännin* successit resignanti Agneti. Præfuit per biennium, & clavum reddidit ei ipsi, à qua ipsa cum nuper acceperat. Præfuit itaque Domina Agnes ab anno 1382. annis 7. cumque iterum cederet, successit iterum Catharina, & ab anno 1389. ad annum usque præfuit 1393.
29. *Margareta à Wisentaw* successit Catharinæ. Præfuit duobus annis.
30. *Agnes Gensmannin* præfuit annis sex, & anno Domini 1401. repetitur ad clavum nobilis herois à Wisentaw, quæ cum iterum per biennium præfuisset, iterum magistratu sese abdicavit.
31. *Elisabeta Schürstabina*, Patricia, eligitur anno 1403. Præfuit annis tribus.
32. *Clara Stromerina*, Patricia, eligitur anno 1406. Præfuit sex annis.
33. *Catharina Pfintzingin* designatur Abbatissa anno 1412. Præfuit 5. annis.
34. *Anna*, Coleri Patricii Noribergensis filia, constituitur anno 1417. Præfuit 3. annis.
35. *Catharina*, Patre Volcamero Patricio viro nata, eligitur anno Domini 1420. Præfuit 10. annis.
36. *Anna Hortulana* eligitur anno 1430. Præfuit 9. annis.
37. *Margareta Volcamerina*, Patricia, constituitur Abbatissa anno Domini 1439. Præfuit annis duobus.
38. *Agnes Hubnerina* eligitur anno 1441. Præfuit 9. annis.
39. *Clara Gundelfingerina* successit Agneti anno 1450. Jubileo. Præfuit laudabiliter 10. annis integris & resignavit.
40. *Margareta Ortlobina* eligitur anno 1460. Præfuit 2. annis, & resignanti huic iterum substituitur Domina Clara Gundelfingerina anno 1463. quæ præfuit adhuc 3. annis.
41. *Anna Timnerina* constituitur anno 1466. Præfuit annis 4.
42. *Margareta Grundherrin*, Patre viro Patricio nata, eligitur anno 1470. Fuit S. Claræ Egrani cœnobii multorumq; aliorum reformatrix: sui vero Noribergensis studiosissima reædificatrix. Præfuit annis 18. & obiit anno Domini 1488.

D d d

43. He-

43. *Helena Mysia* successit Dominae Margaretae. Præfuit annis 15. Obiit anno 1503.
- Charitas Pirckheimerina.* 44. *D. Charitas Pirckheimerina*, doctissimi Patricii Noribergensis & consilarii Imperatorii, Domini Bilibaldi Pirckheimeri foror, latine & docta & facunda virago, cujus aliquot extant scriptæ epistolæ ad Conradum Celtem Poetam & Doctorem Christophorum Scheurlium Jurisconsultum, eligitur anno 1503. Præfuit laudabiliter annis 29. Obiit anno Domini 1532. ætatis suæ 66. Fuit studiosissima collectrix insignis Bibliothecæ.
45. *D. Clara* Charitati defunctæ forori suæ successit. Præfuit 17. tantum septimanis & obiit anno 1533. Fuit & ipsa Bilibaldi foror, Domina prudentissima.
- Catharina Pirckheimerina.* 46. *D. Catharina*, Bilibaldi Pirckheimeri doctissimi viri filia, præclara & facunda Domina, latinarum literarum peritiosissima, eligitur anno 1533. Præsides hoc adhuc currente Jubileo, 23. fororum honestissima gubernatrix. In hujus optimæ agnatæ & fautricis meæ gratiam multa à me scripta sunt, præcipue vero sequentes elegiæ, quas huic loco adjicere non incongruum plane visum est. Tu, lector, quisquis es, quod bono studio tibi & posteritati communicamus, amanter accipe, & quod maxime te decet, æqui boniq; consule.

De tribus postremis Abbatisis S. Claræ apud  
Noricos elegidion.

*Insigni multas Dominas virtute refertas  
Hæc sanctæ Claræ nutriti alma domus,  
Quam Comes Hertenbergensis generosus Ebrardus,  
Conjuge cum Guta nobili Excimia,  
Natabusq; suis Guta & Leutgarde pudicis,  
Atq; Agnete pia, nobile fecit opus.  
Multas hæc, inquam, domus illustresq; piasq;  
Nutri vit Dominas, quas modo olympus habet.  
At quas non Dominas, sed Divas dicere posses,  
Præcipuas habuit tres veneranda domus,  
Ex Pirckheimeri Bilibaldi stirpibus ortas,  
Doctrina insignes, religione, fide.*

Pri-

*Prima Charis, Bilibalde, soror tua, quam celebravit  
Insigni Celtæ carmine saepe suo.*

*Quæ latius sermone loqui, quæ scribere norat,  
Scribendum toto quicquid in orbe foret.*

*Alterâ, Clara soror Bilibaldi etiam ipsa, perenni  
Quæ nunc cum Christo vescitur ambrosia.*

*Tertia, quæ sacris laribus nunc præsidet, atq;  
Præsideat felix incolumisq; diu.*

*Hæc Pirckheimeri Bilibaldi filia solers*

*Nomen Diua refert, ð Catharina, tuum.*

*Sed non exiguum & nudum tantummodo nomen,  
Virtutes magis hæc exprimit ipsa tuas.*

*Est facunda, disertâ, humana, bonisq; benigna  
Omnibus, & doctis omnibus æqua viris.*

*Huic donet superæ cœli moderator ab arce,  
Cœli quicquid habent aurea templa boni.*

*Sit clemens ipsi tellus, aqua, & ignis, & ær,  
Quicquid & hæc orbis machina tota capit.*

**Ad D. Catharinam, Abbatissam S. Claræ:**

*Accipe Diua parens, quod amas, Catharina, pœma,  
O Pirckheimero filia digna patre.*

*Accipe, quam tibi fert studiosus amansq; Poëta  
Ille tui, strenam è paupere rure datam.*

*Sic qui temporis est pater & rex optimus omnis,  
Natalemq; affert jam, Catharina, tuum,*

*Cum.æe sinat incolumem per secula vatis  
Te nobis, quam tu pectore & ore refers.*

*Pectore, quod varia plenum est sapientia & arte,  
Ore, quod eloquio & religionem nitet.*

**In natalem Domini nostri JESU Christi, in gratiam**

**Dominae Catharinae Pirckheimerinae, ad urbem Bethlehemicam.**

*O urbs sancta Dei, quæ summo chara Tonanti,  
Cœlestis panis diceris esse domus,*

*D d d 2*

*Quæ-*

Quæso vide, quam sint in te & sub mœnibus ipsis  
 Hoc miracula die grandia visa tuis.  
 Cunctarum ecce Deus rerum toto orbe creator  
 Ad matris pendens ubera, querit opem.  
 Hic infans alimenta petit, ditissimus omni  
 Tempore, qui humanum pascit alitq; genus.  
 Ponitur in presepe Deus, cunisq; ligatus,  
 Crura dedit laceris involuenda pepis.  
 Fascioliis penè attritis, miserisq; lacernis  
 Sunt extensa Dei brachia, suntq; manus:  
 Felices sanctæq; manus, quibus optimus infans  
 Nunc etiam humanum convocat omne genus.  
 Jam jacet in cunis angustis atq; pusillis,  
 Qui vere toto est major & orbe Deus.  
 Virgo alludit & arridet pulcherrima mater,  
 Seq; redemptorem gaudet habere suum.  
 Ipse puer blandos ad matrem intorquet ocellos,  
 Omne quibus nostrum cernit ab axe genus.  
 Anobis quos ne tu avertas, Christe redemptor,  
 Imploramus opem nos tua turba tuam.  
 Et, qui assumisti pro nobis pondera carnis  
 Humane, & quicquid vita laboris habet,  
 Peccato excepto, es similisq; per omnia nobis  
 Factus in hac vita prætereunte cito,  
 Aspice nos blandis oculis, quibus aspexisti  
 In parvis cunis matrem aliquando tuam.  
 Nosq; tuos miseros fratres miser asq; sorores  
 Perpetua tecum prosperitate bea.

Precatio.

De S. Catharina Virgine, in gratiam Dominae Ca-  
 tharinae Pirckheimerinae, Abbatissæ Noricæ,  
 equestre schediafma.

Ponitur in templis sacras Catharina per aras,  
 Virgo Dei, magno rege parente sata,

Non



Non quod adorari mortali debeat ore,  
 Olim ut adorata est Cypria forte Venus,  
 Aut velut ingeniosa etiam *Ma*vortia Pallas:  
 Exemplo sed quod debeat esse piis.  
 Ut quoque nos Dominum vere *Et* constanter amemus,  
 Fundendus nobis sit cruor ipse licet.  
 Tormentisq; acti ne deficiamus ab ipso,  
 Mente sed intrepida confitemur eum.  
 Nam Catharina rotam *Et* gladium perferre tyranni  
 Maluit, à Domino quam recidisse suo.  
 Maluit omne pati genus irarumq; necisq;  
 Quam temere Dominum deseruisse Deum.  
 Hanc nos excimiam virtutem imitemur in illa,  
 Et nos discipulos virginis esse juvet.  
 Sic aderit nobis etiam pugnantis Heros,  
 Tartara qui vicit solus *Et* astra tenet.  
 Ille suum nobis robur dabit ocius omne,  
 Mortis *Et* inferni ne metuamus opes,  
 Verum infracti animis *Et* corpore, ut omnia contra  
 Robusto stemus nostra pericla pede.  
 Ille per externam nos ducet in atria mortem,  
 Quae sunt ante aliquot secula parata piis.  
 Et quia tu quoque ad hanc patriam, Catharina pudica,  
 Contendis pedibus, corpore, mente, fide,  
 Ilius exemplum constantis sume puella,  
 Cujus in hac vita nomina casta geris.  
 Inq; fide Christi, in caelestis patris amore,  
 Infracto constans pectore *Et* ore mane.  
 Hunc profiteri atque ante omnes res dilige vere,  
 Sic quoque te nunquam deseret ipse Deus,  
 Qui Catharinam istam juvit, defendit, *Et* illam  
 Extulit Angelicis in sua regna choris.  
 Ille tuis aderit sanctis conatibus idem,  
 Is te roboribus induet ipse novis,

Ut possis contemner e mundum, & quicquid avarus  
 Mundus habet, flagrans semper amore Dei.  
 Sic tibi continget superi sapientia regni,  
 Quam diuæ nymphæ denotat ipse liber.  
 Non preses fuit hæc studiorum namq; bonorum:  
 Est preses quorum spiritus ipse Dei.  
 E cuius cerebro est omnis sapientia nata:  
 Solus is in nobis talia dona creat.  
 Sed gerit illa librum, ex quo Christi cognitionem,  
 Vere cœlestes ebriaq; hausit opes:  
 Has doctrix iterum totum disperfit in orbem,  
 Propagans Domini verba sacra sui.  
 Has si sic nos virtutes imitabimur huius  
 Virginis illustris, nobilis atq; piæ,  
 Nos recte illam ipsam & vera pietate colemus:  
 Sed facere hoc ipsum nos, bone Christe, doce.

Salutatio Angelica in gratiam ejusdem D. Catharinæ  
 Abbatissæ, versibus elegiacis comprehensa.

Salve Virgo, Dei genitrix, & Diva Maria,  
 Quam princeps Deus & totus olympus amat,  
 Cui Deus à dextris nunquam non assidet ille,  
 Qui genus humanum liberat atq; beat.  
 Quam Dominus custodit & omni ætate tuetur  
 Clemens ille Deus, propitiusq; Deus.  
 O Princeps mulierum, alma & reginâ Deorum,  
 O muliebris honos, Virgineumq; decus.  
 O semper felix, & terq; quaterq; beatus  
 Est uteri fructus, regia Diva, tui,  
 Christus ab æterno genitus, Patris unicus ille  
 Filius æterni, & filius ille tuus.

S. Catharinæ  
 monialium  
 cœnobi-  
 um.

Est vero & aliud monialium cœnobiũ intra muros Nori-  
 bergensis urbis, S. Catharinæ dedicatum, ordinis Prædicatorii  
 ad Pegnesum amnem situm. Id anno Christi 1294. à cive quo-  
 dam Norico, Conrado de Neumarca, fundatum & constructum  
 legi-

legitur. Primæ moniales ex Dominarum Auraco accitæ sunt. Reformatum id est anno Christi 1428. ex cœnobio Schonensteinbach. Templum, quod hodie adhuc illie conspicitur, à cive Norico, Cratone Langio, conditum est. Habuit hæc monialium congregatio semper gubernatrices Priorissas. Harum à reformatione talis est ad hæc nostra tempora series & catalogus.

1. *Gertrudis Gwichtmacherin* eligitur año 1428. Præfuit 41. annis. Obiit anno Domini 1469.

2. *Kunigundis, Halleri*, Patricii cujusdam Norici filia, successit Gertrudi. Præfuit 29. annis. Decessit ex hac lachrymarum valle ad vitam meliorem anno 1498.

3. *Berenice vel Veronica Bernbardina* eligitur anno 1498. Præfuit 28. annis. Obiit anno Domini 1526.

4. *Catharina Coleri*, Patricii viri apud Noribergenses filia, subrogata Berenicæ præfuit annis 10. Obiit anno 1536.

5. *Felicitas Tucherina*, & ipsa Patricio sanguine apud Noricos nata, eligitur anno 1536. Præest adhuc prudenter & utiliter currente hoc anno 1551. Inter hæc duo amplissima monialium cœnobia est in urbis penè umbilico Franciscani instituti monachorum amplissimum etiam monasterium, à strenuo & nobili viro, Domino *Conrado Waldstromero*, cive Norico & Equite libero fundatum, quem tumulus saxeus sublimis & magnificus (qui in medio cœnobii templo visitur) año Domini 1266. ex hac mortali vita decessisse loquitur. In ejusdem templi choro multa sunt diversorum utriusq; sexus regulorum præclara Mausolea, Dominæ Annæ à Nassaw, Burggravii Friderici filiæ, quæ obiit anno Domini 1353. Comitissæ Emichonis de Nassaw, qui obiit anno 1342. & ejusdem sororis Helenes, quæ virgo obiit anno 1344. Dominæ item Helenes, fundatricis Pirckhenfeldensis, quæ Ducissa Saxoniae & Friderici senioris Burggravii Noribergensis conjux, obiit anno 1309. Postea etiam Dominæ Adelheidis, quæ Friderici Burggravii soror, Palatino Kraiburgensi Rapoldo desponsata, obiit anno 1304. Hartmanni Comitissæ de Werdenberg, & Ducis Othonis, honorabilis cujusdam Principis, qui legitur obiisse anno Domini 1339.

S. CRU-

Schonen-  
steinbach  
cœnobii.  
Priorissa-  
rum se-  
ries.

Franci-  
scanum  
cœnobi-  
um Nori-  
bergense.  
Conrad.  
Wald-  
stromer,  
P. N.